



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Borcorensis n. 29

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

29. A BORCORENSI *Hereticorum Coripheo ex Prouincia Francia in foro Borcori publicè afferente: Ex quo Iesuitæ eò venissent, se vt pestem, aut Diabolum aliquem fugitari, nec cuiusquam amplius salutationem mereri. In Annal. Soc. ann. 1610.*

Eorum pestis Iesuitæ.

30. A BRUGENSIBVS *In Belgio: Cetera omnia (dicebant) se ferre posse, mores, literas, Scholas, sed adeo Pontifici Romano esse addictos Iesuitas, id vero vnum præcipuè intolerabile sibi videri: Iesuitisque omnibus è medio sublatis, haud factu difficile, ceteros omnes fidei Catholicæ propugnatores expugnare. Ibid. fol. 262.*

Quibus ablatis, facile alij fidei propugnatores expugnantur,

31. AB HELVETIIS *Lutheranis è Saxonia, Geneva, & Zurichio vociferantibus, Nullam esse Euangelio suo capitaliorem pestem, quàm Iesuitas: hos & sophismatibus adultos irretire, & pueros illecebris circumuenire, ac demum omnes sub Papæ dominatum trahere: & vbi illi sunt, stare Lutheri disciplinam, Euangelium stare non posse. Sic Par. 2. Hist. Soc. lib. 5. num. 97.*

Sunt Capitalior Euangelij Lutherani pestis.

32. A GANDAVENSIS: *Et quidem Gandavi attributa Socijs domus Hæretici olim, & illis insensissimi hostis. Ædes, & hortum studiose dum excolit, rogatur ab familiarium aliquo, eccui laboraret opere tanto? Liberis, inquit; Ne Iesuitis quàm vereor, alter subiunxit: At Ego: respondit Hæreticus, iam nunc Ædes incendo, Hortum euerto, si id vel suspicer. & quidem miser paulo post carnificis manu perijt, fundusque omnis ille Socijs euénit. Sic in Synopsi Soc. lib. 5. cap. 8. fol. 219. Non minus vel ad Iesuitarum nomen pauent Hæretici: qui timor non modica Societatis laus est.*

Inde in illos extinguibile eorum odium,

33. AB HIDELSIENSI *Prædicante Lutherano in Prouincia Rhenana: qui ab alio rogatus Prædicante libro aduersus Societatem mille imposturis pleno subscribere, respondit: Scio omnium eorum criminationum, quibus tu tuum illud librarium refercisti expertes esse, eas si sustuleris haud grauatè subscribam. Tu vero vide quid suscipias, neque enim tua doctrina, neque scribendi facultas tanta est, vt possit vlla ex parte cum Iesuitarum*

Quantum Iesuitarum doctrina Hæreticorum doctrina præstet.